



Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt VII. Quid sit petitio, quam Deus animæ infundit, & quanta ejus in
impetrando efficacia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

qua perficitur in patria; liquet, quod istorum perfecta inchoatio, est perfectio via in hac vita. Quamvis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur, tamen specialiter Orationis studium ad hoc nititur, ut animato toto intellectu, & affectu, & memoria in DEUM feratur; quia alius postpositus, soli DEO anima inhaerere desiderat cum oratione. Unde Orationis perfectio est, cum id obtinet anima, ad quod orando tendit, ut tota ab infimis abstracta, solum amatur divinis, nec volens nec valens aliud sentire nisi DEUM. Ibi vera quiescit anima, ibi delicitur in splendore lucis, in amantissimo divina dulcedine, & in securitate pacis. Hac autem spiritualis amantitas non potest per aliquas imaginabiles describi similitudines, nec per sensibilia depingi comparationes; quia pure spiritualia tantum differunt a sensibilibus, sicut & spiritus a corpore. Huc ille Bonaventura.

Et ibidem breviter in initio capituli, explicans finem Orationis. Omnis, inquit, ergo Orationis fructus & finis est, DEO inhaerere, & unum cum DEO spiritum fieri per liquefactionem purissimi amoris, & speculationem serenissima cognitionis, & absconsionem in DEI vultu ab omni mandatorum strepitu per excessum quietissime fruitionis, ubi omnes vires animae & potentia a suis dispersionibus simul collecta, & in unum, verum, & simplicissimum, & summum bonum fixa, in quamdam divina conformationis & aeterna stabilitatis similitudinem transformantur. Sunt autem quidam inferiores gradus quasi scalares ascensus, quibus paulatim proficit anima, & illi fini appropinquat. Hae D. Bonaventura. Ad hanc vero arcanam & felicissimam unionem consequendam donum Orationis infusae animabus sanctis DEUS concedere solet.

Orationis infusae causam, subjectum ac finem breviter ostendimus; restat ut de materia disseramus. Est enim Orationis infusae materia amplissima, quae propter ejus infinitam latitudinem, nullis ferè limitibus contineri potest. Loquimur nunc de Oratione secundum ejus latissimam acceptionem, ut comprehendit quemlibet mentis ascensum sive primum affectum in DEUM; in qua quidem acceptione, infinita ferè sunt, circa quae Orationis divina & infusa vertantur: hujusmodi sunt, DEUS ipse in seipso, Christi vita, ac multiplex ejus perfectio, ut bonitas, sapientia, immensitas, &c. ad quae etiam reduci possunt ea omnia, quae ad DEUM ipsum dirigi quoquomodo possunt. Sunt etiam aliae innumerae orandi formae, quae pro qualitate vitae ac puritate cordis, DEUS defecatis mentibus infundit. Ac ut paucis immensam hanc Orationis materiam explicem, ea omnia, quae sub Pietatis & Consilii, Intellectus aut Sapientiae donis, imò & omnium donorum objectis contineri queunt, ea inquam omnia Orationi infusae materiam praebent.

CAPUT VII.

Quid sit petitio, quam DEVS anima infundat, & quanta ejus in impetrando efficacia.

RESTAT jam, ut de Oratione infusa in ea acceptione, qua petito nuncupatur, disseramus. Est autem hujusmodi Orationis specialis spiritus sancti influxus, quo anima mirabiliter excitatur, ut fiducialiter petat, & efficaciter impetret à DEO quae postulat. De hoc Orationis generis & expressè loquitur Paulus ad Rom. 8. dicens: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: id est, movet nos ad postulandum sicut oportet, id est, cum fiducia magna, pro nobis ineffabilibus gemitibus, ac ceteris circumstantiis &c. ad impetrandum necessariis. Sic interpretantur hunc locum communiter Patres. Hac autem petitio numquam solet esse inanis & vacua, propter infinitam principii à quo procedit, quod est Spiritus sanctus, dignitatem, cujus virtute caelos penetraat.

Nam, ut bene S. Bernardus Serm. 59. in Cant. docet, quomodo sui Spiritus vocem irram faciet DEVS? Cujus rei ratio est perspicua: nam cum Spiritus sanctus sit ipsamet increata DEI sapientia, quotiescumque nos efficaciter movet ad postulandum, certissimè novit nos in tali oratione exaudiendos, ac demum desiderii nostri satisfactum iri. Unde fit ut exciter nos ad illa postulanda, quae nobis per orationes nostras donare decrevit. Hoc idem innuit idem Apostolus eodem cap. in his verbis: Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus. Et reddit rationem, cum ait: Quia secundum DEUM postulat pro sanctis, quia nimirum Spiritus per preces, quas sanctis suggerit, illis postulat ea, quae sunt secundum DEUM, quaeque illi grata & accepta sunt.

Et ceterè, si promissa DEI, tam multis sacrae Scripturae & Evangelii testimoniis nobis patefacta, tam variis parabolis insinuat, tot similitudinibus & figuris expressa, (ut scilicet peramus, & felicem eorum, quae petimus confidenter, exitum expectemus) aliquando debent completi; quoniam tempore magis apto id fieri potest, quam ubi ipse Spiritus sanctus postulat pro nobis: seu, quod idem est, facit ut velimus, & efficaciter petamus? Quis enim sine speciali Spiritus sancti auxilio poterit confidenter preces suas tam immensae Majestati offerre? Quis ex se habebit fidem illam vivam, toties nobis in Sacris litteris commendatam, quae certissimè credat se à DEO exaudiendum? Ac denique quis ceteras conditiones, sine quibus oratio nostra nequit esse efficax, & eorum quae postulamus impetratoria, adiciet, nisi is qui omnia potest & ita gemitus ipsius inenarrabiles (de quibus loquitur S. Paulus) vel ut melius dicam, nostri, quos ipse in nobis causat, numquam possint à DEO non exaudiri. Et haec quidem oratio vere dicitur facta cum Spiritu, quia ipse Spiritus sanctus impulsu vivificatur, divinisque illius calore fovetur, ac ipsius potentis dexterae brachio sustentatur.

Orate enim in spiritu, nihil est aliud, quam postulare gemitibus inenarrabilibus, cum affectu novo cordis desiderio, cum viva fide, ea quae nobis suggerit Spiritus sanctus. Hoc orandi modo usa est Anna Samuelis mater 1. Reg. 1. quae cum esset amaro animo, oravit ad Dominum copiose fle, & totaliter effundens in conspectu illius animam suam, ita ut ex abundantissimo Spiritus sancti influxu extra se rapta tales gestus externos elicere, ut Heli summus Sacerdos existimaret eam temuleptam: nec omnino temere, erat enim; sed non ex hoc materiali, ut ipse putabat, sed ex fortissimo dulcedinis spiritualis musto, quo solet Spiritus sanctus fideles sibi animas inebriare. Talis etiam fuit oratio Moysi, quae adeo erat fervens, ut contra ipsammet DEUM praevaleret, ac ferè semper ea quae per eam poscebat, obmeret.

Quid dicam de oratione sanctissimi Patris nostri ac Prophetae ELIE, qui (ut habetur Jacobi 3. & 3. Reg. cap. 17. & 18) quando poposcit à DEO, ut non plueret super terram per tres annos, idque cum

An & quomodo temulenta Anna fuerit

Materia infusae Orationis amplissima est, & quantum illa sit?

Quomodo sint intelligentia ea verba:

Admi-
randa o-
rationū
S. Eliaz
efficacia.

cum tanto spiritus fervore & efficacia præstitit, ut omnia evenirent juxta verbum illius. Cujus orationis efficaciam admirans sanctus Pater Chrysostomus Tom. 1. Serm. 2. de Elia, sic inquit: Stabat ELIAS medius inter DEVM & populum, advocatorem populi cunctis præstans. Conjungit Dominum populo, & DEO populum. Fit per ELIAM una concordia inter DEVM & hominem, inter populum & genitorem, & ut universi dicerent: Verè Dominus, ipse est DEVS. Clavis celi fit sermo ELIAE sanctissimi. Inbet enim, & clauditur, orat postmodum, & aperitur. Claudat inquam celum, & aperit, ligat, & solvit; reseruat quod conclusit, ut sanctorum meritum monstraretur non solum in terris posse quod voluit, sed & in celestibus posse impetrare quodcumque petierit. Hæc Chrysostomus.

Notandum est tamen, animas nostras per mirabilem divini hujus Spiritus influxum non semper eundem petendi modum servare; aliquando enim infundit animæ ferventissima desideria consequenda, pro quibus DEUM interpellat, ita ut moræ impatiens, semotis quibuscumque rerum temporalium impedimentis, gemebundâ voce & multis suspiriis clamet ad DEUM, ut ea quæ ad suam vel proximorum salutem faciunt, concedat.

De his animæ ardentibus desideriis loquitur Psalmista: Desiderium pauperum exaudivit Dominus, & preparationem cordis eorum audivit auris tua. Nam cum hæc præparatio sit ipse Spiritus sanctus, qui talibus desideriis animam disponit; quoties tales dispositiones inducit, toties etiam ea, quæ peius nobis liberaliter solet largiri. Tunc vero dicimur petere desideria, quando in conspectu Domini profusis cordibus aliquod donum sive gratiam ardentèr desideramus. Desideria namque sunt in auribus Domini potentissima voces, illum ad exaudiendum nos excitantes. Desiderium tuum, inquit S. Augustinus in Epistola ad Probam, oratio tua: continuo desiderasti, continuo orasti. E. idem Augustinus Epist. 121. cap. 9. Quod ait Apostolus 1. Thim. 5. Sine intermissione orate, quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare. Ipsa sicut terra, quæ veluti aperitur ut aquam excipiat, vox ejus est; & ipsa sicut aricularum, quæ cibum esuriunt, clamor earum est. Hic orandi modus verè non est aliud, quam effundere cor vel animam in conspectu DEI; ipsa enim petitio est quasi quædam cordis desideriorum expansio. Ita Anna, postulat filio à Domino, inquit: Effudit animam meam in conspectu Domini. Et David: Effundite cor meum illo corda vestra.

Aliquando etiam (ut affirmat Cassian. Collat. 9 cap. 14. 24. & 26.) monet Spiritus sanctus animam ad instar velocissima ignis ardentis facula, per quam inflammata mens atque succensa, ad orationes puras ac ferventissimas modo quodam incomprehensibili incitatur, & in instanti omnes sua necessitates atque affectus, qui alias per multum tempus ita coadunari nequirent, sibi perfectissime representantur, & ita effundit in conspectu Altissimi purissimam & odoriferam orationem ad omnia efficacissimam, quam Spiritus sanctus, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus, transmittit ad DEVM.

Interdum (inquit Cassianus) anima in instanti prædiat a lucidissimo Spiritus sancti fulgore, se ad interiora cordis recipit, interna quieti vacans, in maximo mundani tumultus silentio, cohibitis scilicet ad tempus sensuum & potentiarum operationibus; in hoc silentio desideria sua divina maiestati, mirabili modo pandens.

Nonnumquam etiam videtur animæ ira orationis se à DEO benignissime suscipi, suasque preces per eum exaudiri, idque aliquibus indicibus sibi manifestari, ex quo magnam acquirit fiduciam, quæ solet esse (ut inf. à dicemus) evidens imperatæ rationis argumentum.

Sunt alii Orationis modi, animabus nostris per Spiritum sanctum infusi. Aliquando enim, ut docet Thaulerius in Serm. de S. Augustino, quando homine ex toto cum Propheta ex solitudine intro-verso, & ibidem manente, omnique cogitationum, formarum & imaginum sedato tumultu, DEVS & sanctus Angelus repente, velut in actu oculi, amorem illi operantem inspirant, moventque illum ad orandum pro certa aliqua quam suggerunt causa, sive pro Ecclesia, sive pro vivis, sive pro defunctis. Hæc autem instar fulguris ei in mentem veniunt; facitque tunc DEVS, tamquam illi oranti confestim diceret: Non opus est, ut aliquid tibi dicas, scio quid velis, quid desideres, & sic ejus desiderio satisfacit: hæc est oratio dilectissimi, quæ in Spiritu funditur. Ita Thaulerius.

Alius orandi modus esse solet, quando spiritus noster ante DEUM prostratus, ab ipso Spiritu sancto quasi impellitur, ut pro omnibus Ecclesie necessitatibus universatim, sine ullo ad particulares personas aut necessitates descensu, ardentèr petat, ad instar ejus qui è supremo montis vertice simplici quodam aspectu intuetur multitudinem hominum infra ambulantium, neminem speciatim prospiciens aut discernens. Sunt enim ira animæ iusto: um ablorpæ in profundissima Divinitatis abyssu, ut simplicissimo mentis intuitu omnes totius Ecclesie necessitates & miseriae perlustrent, & hoc supernaturali Orationis modo divinam maiestatem pro illis interpellant.

Postremus tandem orandi modus est, quando videtur animæ ferventer oranti intra se reperiri Spiritum sanctum vel JESUM Christum, qui pro se loquatur, & apud DEUM, quamvis ipsa sileat, pro se interveniat: & per hanc orationem anima ex tam multis rerum inter se gestarum eventu tota in admirationem conversat ac confusa, habet se quodammodo ut quid medium inter Patrem æternum & JESUM Christum, ubi quodam modo ineffabili, quasi in speculo, repræsentantur sibi omnia sua desideria ante Patris æterni conspectum, ablata & seculis omni formidine, concipit spem certissimam ineffabiliter se ab eo exaudiendam. Quæ omnia, quia non ita bene explicari queunt, sequenti parebunt exemplo.

Considera, obsecro, nutricem, cui a patre mandata est cura filii unici dilecti, quæ illum quandoque brachiis suis circumfert ante patris præsentiam, qui ad repentinum illius aspectum totus amore flagrans in ejus amplexus ruit, mille oscula præbet, & suavissimè in ipso jucundatur: nutrix autem ex alia parte, summo opere etiam ex tenero patris in filium affectu delectatur, quippe certò sciens, se maximos ex illo patri in filium amore fructus reportaturam. Si autem postea contigerit, ipsam in aliquo patrem irritasse, & filius pro ipsa apud patrem intercedat; fieri nequit præ nimio ejus in filium affectu, quin illi culpam remittat, & in omnibus morem gerat. Ex hac similitudine colligi quoque potest, quid sit Spiritum sanctum postulare pro nobis. Nam cernens anima quantus sit Patris æterni erga Filium amor, & ex alia parte quam flebili voce & quantis gemitibus Filius in ara crucis Patrem pro se ipsa interpellat; illius clamoribus confusa conticet, certissimò sciens, eos plus apud Patrem posse, quam petitiones suas.

CAPUT